

*Da Trebio, pone ad Trebium, vis frater ab istis  
Ilibus? ô nummi vobis hunc præstat honorem,  
Vos estis fratres.*

Posterioris in hōc ejusdem eādēque Satyrâ.

*Pone crucem seruo. Meruit quō crimine servus  
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi,  
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.  
O Demens, ita servus homo est? nil fecerit, esto,  
Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

Nec non in illō Horatii lib. 1. Epistol. 16, quam ita claudit.

*Vir bonus & sapiens audebit dicere, Pentheû  
Rector Thebarum, quid me perferre, patique  
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, rem,  
Lectos, argentum: tollas licet. In manibus &  
Compedibus sævō te sub custode tenebo.  
Ipse Deus, simulatque volam, me solvet. Opinor,  
Hoc sentit, moriar. mors ultima linea rerum est.*

Sexta denique *Interpositio*, quando oratio una, aut plures inter se connexæ interjiciuntur alii, vel aliis. Hanc obscuritatis causam agnovit quoque Quintilianus locō jam toties memoratō, cum ait. *Etiam interjectione, quā & oratores & Historici frequenter utuntur, ut mediō sermone aliquem inserant sensum, impediri solet intellectus, nisi quod interponitur, breve est. Nam Virgilius illō locō, quō pullum equinum describit, cum dixisset,*

*Nec vanos horret strepitus —  
compluribus insertis, aliā figurā quintō demum versu redit,  
—— Tum, siqua sonum procul arma dedere,  
Stare locō nescit, micat auribus, & tremit artus:  
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.*

Hæc autem *Interpositio* fit sine vel cum *Parenthesios* signis; sine iis est in exemplō allatō; cum illis autem est in hōc *Æneid.* 3.

*Fare age ( namque omnem cursum mihi prospera dixit  
Relligio, & cuncti sua serunt numine Divi  
Italiam petere, & terras tentare repostas:  
Sola novum, dictuque nefas Harpyia Celæno  
Prodigium canit, & tristes denuntiat iras,  
Obscœnamque famem ) quæ prima pericula vito,  
Quidve sequens tantos possim superare labores.*

Hujus generis exempla apud Authores passim obvia.

15. Integri alicujus Scripti obscuritatem ex nullō aliō proficisci posse vide-